DISCURSUS ASTRONOMICUS NOVISSIMUS. A DOCTORE PETRO CORTESIO MEDICO...

Pietro Cortese

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 L
29
RIII. 17.
14-27.C.8

DISCVRSVS

ASTRONOMICVS

[illegible]



[illegible]

DISCVRSVS ASTRONOMICVS NOVISSIMVS.

A DOCTORE

PETRO CORTESIO


MEDICO REGIO, OLIM A CVBICVLO PRINCIpum Sabaudiæ. nunc à Cubiculo Excellentiſsimi Nauarchi Caſtellæ Generalis Ducis & Proregis Regni Siciliæ



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Imp. Abb. Gel. V. G. Imp. de Denti P.

PANORMI Ex Typographia Alphonſi de Iſola. 1642.



Fortuna ſortes metuit ignauos premit:

Panormi 13: Aguſti .1642:

EMMINENTISS. ET REVERENDISS.

Principi S.R.E. Cardinali IOANNETTINO DORIA Archiepiſcopo Panormitano meritiſſimo.

D. PETRVS CORTESIVS, MEDICVS Philoſophus, & mathematicus Salmaticenſis:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HIPARCHI, Thimocharis, Ptholomei, Ariſtotelis pluriumque antiquornm Mathematicorum, & Philoſophorum, multis ab hinc annis inſitam antiquatamque opinionem (Princeps Cardinalis Eminentiſſime) redarguere, & contrariam ſententiam illius loco introducere, non erit facile, & nouitatem maximam inducere

re

re. Preſertim ſi ex vna nouitate plures originentur (vt certum eſt) difficile erit, ſed quod nouiſſimum apparebit, magis eſt in audacia eius qui auſus eſt illud quod omnibus neothericis impoſſibile videtur, in publicum proferre. cuius rei timore Patronum inquirere licet, cuius potentia ingenium, cum nobilitate, & eminentia inuentoris virium debilitatem, ingenij tenuitatem, ad cœlum vſque eleuare poſſit. Mecum ergo cogitans qua via hoc fieri poſſit in memoriam reuocaui (ſi bene meminero) aliquibus annis iam tranſactis, me proprijs vidiſſe oculis (Eminentiſſime Princeps) te ſumma affectuum naturali inclinatione, Solium, Principatumque tuum in Italia reliquiſſe, & in Hyſpania Salmantinam ciuitatem ingredientem, & Vniuerſitatem honore, & nobilitate magis ac magis illuſtraſſe. Vnde vſ-

vſque ad hoc tempus Emporium il-
lud gratum tibi debere eſſe publice,
demonſtrat, & certiſſimum eſt tui be-
neficij memoriam fere perennem ha-
bere, quia à principio viſum fuit te
progreſſurum ad terminum fœlicíſ-
ſimum; ad quem omnia media; quæ
ſucceſſiue colligata ſunt id ipſum
prædicant, nam eo tempore quo Sal-
mantinam ſcholam honorare cœpiſti
adhuc 15, annum adimpletum non
habebas, & tali pollebas ingenio, tali
corporis diſpoſitione, tali vrbanitate,
cum nobilitate coniuncta, tali cum
auctothoritate (tibi ſoli debita) tam-
quã à tuo eſſe proprio exorta, vt cum
omnes Ciuitatis Coloni, & faculta-
tum profeſſores, tales in te partes in-
ſpexiſſent, de omnibus quę in tam te-
nera ætate te eſſe prœditum mirabã-
tur, & (me teſte) omnes non ſolum
in corde ſed eleuatis vocibus ſalutem

&

& optimam fœlicitatem tibi ſumnis præcibus à Deo petebant, & ſtatim paucis tranſactis diebus annuam Rectoriam (qua cæteros nobiles honorare ſolet Vniuerſitas) tibi libentiſſime ad honorem ſcholæ tribuerunt omnes omnium ſcientiarum Primarij, & Conſiliarij non vt ſicut cæteri ab electione maiori honore fruerentur, Sed vt Eminentia tua ea qua potes nobilitate Emporium (& ſi nobile) nobilius feciſſes. Vnde iam quod tale fœliciſſimum principium iam quod à parentibus, tuiſque anteceſſoribus datum ſit, vel quia cœleſtia corpora tempore tuę natiuitatis ita erant diſpoſita, vt non ſolum à pueritia apud omnes, ſed tractu temporis vſque ad præſens (ſine intermiſſione) omnia quæ qualemcumque Principem nobilitare valent, tuis proprijs meritis acquiſiuiſti, & quamuis in principatu Romanæ

Ec-

Eccleſiæ poſitus ſis. Vbi tot tantaque memoriȩ digna circa pauperes exercere videaris, non dubito quin maiora te expectant, vt in omnibus humanam fœlicitatem adquiras. tuo ergo patrocinio & non alio, res tam admodum difficilis ȩluceſcet, & typis mandari poterit, & qui vt nouiſſimnm renuere fortaſſis volebant, aucthoritate tanti patroni intimius penſitabunt, & tuo auxilio fautorem paruipendere non audebunt. Vale (Emminentiſſime Princeps) qui non ſolum toti Italiȩ prœſtas, verum toti Hyſpaniȩ ho norem prœſtitiſti. Vale.

Humiliſſimus Seruus:

D. Petrus Corteſius

AVCTOR LECTORI.

AMice Lector. Plura in opuſculo paruo magna noua, & difficilia, à nobis ſunt aducta, quæ ſi ſufficienti Solertia, enodata ſint nihil mihi iucunditus euenire poteſt, ſin minus; fortunę fluctibus ignoſce, ſuſcipe animum Hilarem, qui ea cauſa noua, & difficillima ſuſcepit, vt ſaltim grauiora philoſophorum in ore duro certamine abſoluantur. quo fiet vt inde fructus ſperare poſſimus ſi præpoſita minus culta minuſque diſerta fuerint ingenio præditis ſtimulus oriatur aſiduus ad noua conmentanda Compellens quibus inuentis Aſtronomiam iam fugam arripientem, & tot iniurijs, laceſſitam à doloſis perſecutoribus liberare poſſimus, de inſimis, & ſublimibus Vniuerſi partibus agimus. Solus ille: qui omnium cognictionem abuerit, de re tam ardua ſententiam proferre valebit. Vale.

Digitized by Google

DE PRINCIPIIS

QVÆ MAGIS NECESSARIA SVNT ad intelligentiam aſtronomiæ incipiendo a puncto.

De Puncto.

PVnctus eſt cuius partes nullæ ſunt, & eſt in triplici differētia, nam aut eſt initiatiuus, aut terminatiuus, aut coniunctiuus.

De linea.

LInea eſt longitudo ſine latitudine, & profunditate, & eſt triplex, nam vel eſt recta, vel curua, vel mixta. linea recta eſt breuior via, à puncto ad punctũ, vt linea A B linea curua eſt illa, quæ breuiorem viam à pũcto ad punctum non includit vt linea B C li-

 nea

nea vero mixta eſt illa, quæ etiam ſi à puncto ad punctum breuiorem viam non includat; compoſita eſt ex curua, & recta, vt linea C D & hæc eſt prima dimentio ex tribus, quæ inueniuntur in quantitate.

De Superficie.

SVperficies ea eſt, quæ in ſe continet duas dimenſiones, videlicet longitudinem, & latitudinem; & eſt triplex ſcilicet, plana, conuexa, & concaua. ſuperficies plana eſt illa, quæ eſt breuior inter lineam, & lineam, vt ſuperficies A B ſuperficies conuexa eſt illa, quæ interiacet lineas rotunditatem tumoroſam efficiens, vt ſuperficies C ſuperficies concaua illa eſt, quæ interiacet lineas concauitatem habens.

De angulo.

EX lineis cum ſuperficiebus fiunt anguli, & eſt angulus contactus duarũ linearũ ad inuicem ſe tangentium, & eſt multiplex: nam

aut eſt rectilineus, aut curuilineus, aut mixtus. angulus rectilineus eſt contactus duarum rectarum linearum, vt angulus A. angulus curuilineus, eſt contactus duarum linearum curuarum, vt angulus B mixti lineus angulus eſt ille, qui fit èx linea recta, & curua, vt angulus, C Adhuc angulus rectilineus triplex eſt, vel eſt angulus rectus, vel obtuſus, vel acutus. angulus rectus ille eſt, qui fit ex contactu duarum linearum, quarum vna ſuper alteram perpendiculariter incidit, vt angulus, A angulus obtuſus eſt maior recto, vt angulus B angulus acutus eſt minor recto, vt angulus C.

De figura

EX lineis etiam & ſuperficiebus fiunt figuræ, vnde figura nihil aliud eſt, quam ſuperficies vna vel pluribus lineis terminata; ita vt figura dari non poſsit in ſuperficie, niſi terminetur, vel vna, vel pluribus lineis. hinc eſt quod prima figura quæ tribus lineis termi-

natur, triangulus dicitur, vt figura A tamen triangularis figura eaſdem habet differentias, quas habent anguli, nam alius eſt triangulus rectangulus, alius obtuſangulus; alius acutangulus. rectangulus eſt, qui habet vnum angulum rectum, vt figura B obtuſus angulus, qui habet vnum angulum obtuſum, vt figura C figura triangularis acutangula ea eſt, quæ habet omnes tres angulos acutos, vt figura D cæteræ vero figuræ nomen accipiunt à lineis, quibus terminantur ſuperficies, nam quæ terminatur quatuor lineis, vel dicitur quadratus, vel quadrangulus, vel rombos, vel romboides, vel trapecios.

Quadratum illud eſt, quod habet quatuor latera æqualia; & quatuor angulos æquales; vt figura A quadrangulus ille eſt, qui quatuor habet angulos æquales; ſed oppoſita latera; tantum ſunt æqualia, vt figura B rombos autem illud eſt; qui quatuor latera habet æqualia, & angulos oppoſitos tantum æquales; vt figura C figura autem

qua-

quatri latera romboides illa eſt; quæ latera oppoſita; & angulos oppoſitos habet tantum æquales, vt figura D vltima eſt quadrilatera figura; quæ latera; & angulos habet inæquales; & dicitur trapetios, ut figura E cæteræ figuræ nomina ſumunt à numero linearum; & angulorum; ut pentagona; ſexagona; ſeptagona; optagona &c.

Figura autem; quæ unica linea terminatur, circularis ſiue rotunda dicitur; quæ ſic definitur; circulus eſt figura plana unica linea contenpta; quæ circumferentia dicitur; in cuius medio punctus eſt; à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam; ſunt æquales, punctus uero in medio exiſtens, dicitur centrum; linea autem quæ ab una parte circumferentiæ per centrum ducitur ad aliam partem; diameter circuli appellatur; puncta uero terminatiua illius lineæ; dicuntur poli; & illa pars circuli ſupra uel infra diametrum ſemicirculus dicitur, & quando alia linea tranſit ab

una

vna parte circumferentiæ ad aliam ſine tactu centri, illa pars circuli, quæ continet centrum, dicitur portio maior, alia vero pars dicitur ſectio minor. hæc enim circuli conſideratio neceſſaria eſt ad definitionem sferæ, in cuius tractationem, omnis trina corporis ſiue quantitatis dimentio conſtituitur.

TRACTATVS NOVVS CIRCA ASTRONOMIAM EXCELLENTIOREM PARTEM MATHEMATICARVM FACVLTATVM, A DOCTORE PETRO CORTESIO MEDICO REGIO, ET A CVBICVLO NAVARCI VICEREGIS, ET GENERALIS DVCIS IN REGNO SICILIÆ HOC ANNO 1642.

CVm, ab Hiſpania in Siculum Regnum veniſsem, vbi facultatem Mathematicam oblitam, & rellegatam vidiſſem, & inter medicos ita odio habitam, vt non ſolum eam, verum eius profeſſores ignominioſè proſe-

quan-

quantur, quod peccatum in illis maioris momenti eſt, ſiquidem ab Hippocrite, & Galeno multis in locis, aſtronomia, reconmendata ſit, & cum Aſtronomia inter quatuor partes (quas habet mathematica facultas) ſit excellentior, guſtui adaptatior, & medicæ facultati vtilior, & neceſſaria, hinc eſt quod eo tempore quo otio ſum deditus (ne temporis prætioſum inſtans fruſtra conteratur) decreui hanc partem ſcilicet Aſtronomiam, vel eius maiorem partem publice edocere. Vbi præter ea, quæ ab antiquis dicta ſunt plura noua enodauimus, & cum omnia noua ſemper placent, fortaſsis hæc vt noua placebunt, eritque in primis ſuo ordine explicandus diſcurſus, ſuper tractatum ſpheræ Ioannis de Sacro boſco, qui recte, diuiditur, in quatuor partes; quarum prima de deffinitione, & diuiſione vniuerſi aget, ſecunda vero de circulis in eo vniuerſo imaginatis ad maiorem intelligentiam cæterarum partium mathematicæ facultatis, tertia verſabitur circa ortum, & oc-

caſum omnium ſignorum, & ſyderum,& differentiam dierum & noctium, &c. Quarta & vltima tractationis pars,erit ea quæ & de motibus planetarum, & diuisione zonarum, & climatum, & de eclipsibus tam ſolaribus quã lunaribus, inſigniter tractabitur.

Pars prima de deffinitione Vniuersi. Cap. I.

CVm de diffinitione vniuersi agere neceſſum ſit (ſcilicet de mundo) an illud ſit corpus, eiuſque figuram inquiramus, & eius magnitudinem comprehendere ſit impoſſibile, quia tota machina oculis noſtris repræſentari nequeat, ideo, in aliquo ex corporibus in his inferioribus aſsignato,& figuram, & diuiſionem, cæteraque, quæ ſensibus noſtris repræſentari poſſunt, & omnia; quæ ad maiorem claritatem neceſſaria ſunt adducemus, & cum multis rationibus conſtet vniuerſum, ſphericam figuram continere, hinc

erit

erit vt ſpheram, vel corpus vere ſphericum definiamus, & omnes paſsiones, quæ in vniuerſo mundo poſſunt conſiderari adamuſſim diſponamus; & ſic omnis tractatio verſabitur circa ſpheram ſiue corpus ſphericum, mundi machinam legitime repreſentans. Vnde deſſinitio ſphere ſeu vniuersi ſic ſe habet: Sphera eſt corpus rotundum vna ſuperficie contemptum, in cuius medio punctus eſt, à quo omnes lineæ ductæ ad ſuperficiem ſunt æquales. hæc eſt diffinitio eſſentialis, & quidditatiua, conſtans genere, & differentijs; nam corpus eſt genus omnia corpora reſpiciẽs; rotũdũ autẽ, eſt differẽtia excludes corpora quæ rotunditatẽ nõ habent, vt quadratũ, triangulare, pentagonũ, & exagonũ; &c. vnica ſuperficie cõtemptum, eſt differentia excludes corpora columnaria, quæ quamuis rotũditatẽ habeãt nõ vnica cõtinẽtur ſuperficie. in cuius medio pũctus eſt, à quo oẽs lineæ ductæ ad ſuperficiẽ sũt æquales. eſt vltima differẽtia qua excludũtur omnia corpora oualia, & lẽticularia quæ

quãuis rotũda ſint lineæ tamẽ, quæ a pũcto in medio poſito extenſe ad ſuperficiem non ſunt æquales. Vnde manet euidenter corpus ſphericum eſſe corpus perfecte rotundum; rectè igitur hæc definitio conuenit vniuerſo, ſiquidẽ in medio eſt centrũ terræ, à quo omnes lineæ ductæ vſque ad concauam ſuperficiem cæli Empirei omnes erunt æquales, ex his ſequitur illum punctum in medio ſitum vocari centrum mundi, & quod illa linea recta, quæ tranſiens ab vna parte ſuperficiei ad alteram per centrum, vocetur axis, & illa puncta terminantia axem ex vtraque parte, vocentur poli, quorum alter dicatur Articus, alter vero, antarticus.

Corolarium explicans deffinitionem deſcriptiuam.

EXacte examinata deffinitione eſſentiali ſpheræ diſcriptiuam ſiue modum quo corpus ſphericum formari poſsit, breuiter declarabimus, ſi in memoriam reuocemus def-

deffinitionem quamdam inter eas quas Euclides adducit lib. 11. Geometriæ, in qua deffinitione ſic ſe habet: Sphera eſt tranſitus dimidij circuli, qui fixa diametro eouſq; circumducitur quouſq, ad locum ſuum reddeat; ſuponit enim illum ſemicirculum rotantem per aërē ab vno loco ad eundem locum ſolidum efficere, vel ſi vacuum eſſet quodcumq; corpus conficere; quod ſi attente bene intelligatur, per operationem intellectus poteſt fieri.

De diuisione ſpheræ siue vniuersi.

ANtiqui omnes ſectantes doctrinā Ioannis de Sacroboſco vniuerſum diuiſserunt in duas partes videlicet in elementarem Et æthereain Regionem tenētes alteram eſse corruptibilem, nimirum elementarem, & alteram corruptionis eſſe expertem, & quintam eſſentiam habentem diſtinctam ab elementis. Cuius ratione alio, & diuerſo modo à nobis diuidendus erit mundus, præcipuè

tota illius pars quæ continentur a centro terræ vſq; ad cælum empireum , ſed vt clarius (tamquam nouam) opinionem noſtram introducere valeamus, antiquorum ſectam explicare placet. Diuidũt ergo illud omne quod continetur à centro terræ vſque ad cælũ Empireum, & iterum elementarem Regionẽ, ſub diuidunt in quatuor partes quarum quælibet vocatur elementum,&quatenus attinet ad elementa, & noſtra , & antiqua diuisio plurimũ conueniunt, etiam si in aliquibus differentia fieri videatur. Quod enim sint quatuor elementa ſcilicet, Terra, Aqua, Aer,& Ignis. ſatis ex ſententia philoſophorum conſtat,&etiã cõſtat diuersis qualitatibus conſtare, nã Terra frigida, & ſicca eſt, Aqua frigida, & humida, Aer calidus, & humidus, Ignis autem calidus, &ſiccus. Quantum adhoc oẽs cũ ſentẽtia cõni philoſophorum conueniunt; ſed in proprietatibus,& in diuerſitate loci(& si aliqui conueniant)ego tamen diſſentio, nã in quantũ tenẽt duo elementa eſſe leuia; ſcilicet ignis; & aer ,

alia

alia vero duo eſſe grauia, ſcilicet terra, & aqua, contrariam ſententiã veriorem eſſe iudicio; vnde ſit tenenda concluſio; omnia quatuor elementa propriè & ex ſua natura ſunt grauia taliter quod ſi per poſsibile; vel impoſsibile deficeret terra aqua tamquam grauis deſcẽderet ad ceutrum & ſi aqua & terra deficerent ſua propria grauitate, aer deſcenderet ad centrũ vſque & ſimili modo deficientibus terra, aqua & aere, ignis tamquam corpus componẽs vniuerſum ſua qualicumque parua grauitate deſcenderet naturaliter & nõ ratione vacui (vt aliqui dicunt) hæc concluſio ex loco adducto à quodam antiquiſsimo auctore, ab Ariſtotile in quodam greco codice inuento, recte; probata manebit, (erat .n. titulus codicis Ariſtotelis de elementis) & verba erant quæ ſequũtur (circa elementa terra eſt grauis, aqua minus grauis, aer minus grauis, ignis minus grauis) videãt philoſophi quo pacto elemeuta ſecundũ magis & minus ſunt grauia, & ſic naturaliter conuenire grauitatem, quia magis, & minus

non

non variant ſpetiē, & confirmari poteſt, hæc ſententia ex eo quod ignis eſt inter elementa corpus, & à rebus incorporeis creatis diſtinctum conſentaneum ergo rationi eſt, quod vnde ex eius proprietatibus ſit grauitas, vnde tanquam certum dicendum eſſe teneo tantum elementa poſſe dicere leuia comparatiue.

Quod autem attinet ad locum elementorum, ſequens examinari debet hæc concluſio.

Prout nunc exiſtunt elementa, terra, & aqua ſimul ſumpti in vno & eodem loco, quia cum locus ſit ſuperficies corporis continentis concaua aeris ſuperficies, de neceſsitate erit locus terræ, & aquæ, vnde ſecundum noſtram opinionem, cæterorum duorum elementorum verus locus erit concaua ſuperficies cæli ſecundi, ſcilicet cæli aquei in quo ſtelle fixe nobis apparent, & ſi verum eſt, quod illum cælum ſtellatum fluidum, & de natura aquæ exiſtit, omnium elementorum

ge-

genuinus, & proprius locus erit ſuperficies concaua cæli empirij: his ſuppoſitis opinio illorum qui aſſerunt elementum ignis locum habere circa orbem lunæ, ibique eſſe purum, relegata, & expulſa manet, quia ibi elementum ignis eſſe fruſtraneum contra acſioma vulgare quod tenet, quod Deus, & natura nil fecerunt fruſtra, & cum ignis iſte vſualis, quem videmus inter cætera elementa mixtũ fruſtraneum eſſet, & perconſequens tenendum non eſſe purum, & in concauo lunæ præcipue quo ad nos qui defendimus à ſuperficiæ terræ,& aquæ vſq; ad cælum empireum eſſe totam ſubſtantiam fluidam, aeream, & corruptibilem, & hæc circa elementarum regionem dicta ſufficiant, & ad alteram diuiſionis partem ſermonem dirigamus.

Diuidunt prætereà antiqui ſecundum ſuã opinionem, & etereum regionem in plures cæleſtes orbes quos diuerſo numero, diuerſi auctores iudicant nam Ariſtoteles, octo dixit eſſe ſecundum octo motus, quod diuerſos

iu-

iudicabant nam cum vidiſſet, ſeptem planetas ſeptem motibus moueri, & diuerſo tamen ſtellas fixas, hinc octo dixit eſſe orbes, & cælos, poſuitque primum mobile in octauo cælo, deinde cum cæteri mathematici plures vidiſſent apparentias, quæ ſaluari debebant ad ſaluandas illas, alia, & alia multa intellectu difficilia machinati ſunt, itaut intellectu difficilem ſcientiam difficiliorem fecerunt, quod neque ego iudico quo pacto ab Hiparco, & Ptolomeo, alijſque antiquiſsimis mathematicis, vſque in hanc tempeſtatem, tanta inconuenientia fuerunt incognita, ſi mathematici inſignes, tot tantaque nunc vident inconuenientia illa ſcilicet quæ ſequuntur ex ſuppoſitionibus, quibus vſi fuere antiqui, ad ſaluandas apparentias, quæ vt certæ modum exequendi petunt, vnde ad ſaluandas eas a Ptholomeo, & alijs, ſuppoſitiones aliquæ ſint fictæ & in ſe impoſsibilitatem tenent, cum ad apparentias ſaluandas faciliori modo iuditio meo ſaluari poſſint, apparentias enumerabo, & ad

eas

eas ſaluandas ſuppoſitiones antiquorum addu-
cam, & modum ſaluandi eas qua potuero cla-
ritate proponam, & tadem ad id quod ad ma-
iorem certitudinẽ poſsit euenire, ad huius rei
tractationem maiora, & acutiora ingenia
adducam.

De apparentijs à Methamaticis viſis.

PRima apparentia à methamaticis inſpe-
cta, eſt illa, quæ originatur ex coniun-
ctione, tum ſolis, & lunæ, & aſpectibus diffe-
rentibus omnium planetarum, ſextilem qua-
dratum trinum, & oppoſitum, quæ ap-
paritiones vnico motu inter planetas fieri non
poterant, ad hanc apparientiam ſaluandã, tres
motus finxerunt mathematici, quorum duos
dixerunt eſſe in planetis, alterum vero in i-
mobili, quod dicebant eſſe decimum
cælum, qui motus raptus nominabatur, quia
rapiebat omnes orbes inferiores in ſpa-
tio 24. horarum ab oriente in occidens

& ſic, cum vidiſſent vna die lunam cum ſole hora 6. in occidente, & altera die in illa hora erat ſeparata à ſole ab occidente verſus oriens 12. vel 13. gradus, ſuſpicati ſunt illam lunam motum habere naturalem ab occidente in oriens, & ſic dixerunt, lunam duos habere motus, vnum extrinſecum à primo mobili ab oriente in occidens, & alterum naturalē ab occidente in oriens, ſimili modo coniunctiones & aſpectus ſaluari in omnibus planetis, itaque in illis duobus motibus ſaluari poſſe hanc primam apparentiam, & nullũ, alium modum tenuerunt; & hodie tenent, ſed re attente animaduerſa melius, & excellentius id ſaluari poteſt hoc modo omnia corpora cæleſtia (ſydera dico) ſiue ſtellæ fixæ ſiue planetæ proprio, & naturali motu mouentur ab oriente in occidens hac legē ſtellæ fixæ, (quæ fixæ dicuntur quia vnam, & eandem diſtantiam ſeruant inter ſe) omnes ſimul primo, & naturali ſuo motu velociſsimè mouentur à puncto meridiano in cælo empirio ſignato,

quod

quod punctum tam in ipſo cælo quam in terra, in qualibet regione in motũ manet, mouetur ergo tota ſtellarum fixarum machina taliter quod vt ſtellæ illud punctum pertingant in 24. horas; per duo ſecunda retardantur; & retinentur; & in alia reuolutione alia duo ſecunda; & ſic hac proportione ſeruata in annis centum reſpectu illius puncti aſsignati; retinentur ſtellæ verſus oriens; ita vt ſit retardatio totius circuli in ſpatio 36000. annorum; hæc autem retardatio non fit quia ſtellæ mouentur verſus oriens; ſed quia deficit in reuolutione cotidiana vt dictum eſt quotidie; in quantitate duorum ſecundorum. hanc autem retentionem antiqui mathematici obſeruarunt in diuerſis temporibus; vt mirabiliter circa motum octauæ ſpheræ notandus eſt proceſſus Andreæ Argolij in ſignis mathematici, in Patabina vniuerſitate, qui curioſe proceſsit, & docte in ſuis effemeridibus, & quia eaque adducuntur ad noſtram intelligẽtiam pertinẽt, verbatim ſcripta vellem addu-

cere aſſerit enim, mouetur firmamentum, & in eo fixæ ſtellæ prætermotum diurnum, & raptum ab oriente in occidens, motu proprio ex occidente in oriens, ſecũdum ordinem ſignorum ſuper polos eclipticæ, quem motum primus obſeruauit, Hiparcus, cum eum priores Tales Milleſius, Eudoxus, Aratus, Timocharis alijque non cognouerint circa quem variæ fuerunt opiniones, Ptolomeus facta computatione ex obſeruatis, ſpica virginis ac ſtella precedenti in cornibus arietis cum eiſdem obſeruatis ab Hiparco, ſtabiliunt, firmamentum ſingulis annis centum, gradum vnum peragrare, nam reperiebatur tempore Ptholomei (qui vixit poſt Hiparcum 265. annos) in gradibus 6. 40 minutis arietis dicta ſtella in cornu; quæ erat tempore Hiparci in gradu 4. minutos o & sic Ptholomeus tribuit anuum motuum firmamento 35. minuta cui opinioni adiecta eſt tota poteſtas, vſque ad noſtra tempora, Albategnius tribuit firmamento vt in annis 66. percurreret gradum vnum, con-

conferens enim obſeruationes ſuas cum illis Menelai; Repperijt in annis 782. peragraſſe 12. gradus 56. minutos, Tichobrae ex anno tropici, & ſyderalis differētia opinatus eſt, octauam ſpheram, fixaſque moueri in annis 70. & menſibus ſeptem gradum vnum, & in annis centum gradum vnum 25. minutis, tribuens eis annuum motum 51. ſecunda qui ſententiæ ſubſcribimus &c. Ex dictis ſatis conſtat fixas ſtellas ſuo motu quotidie, vel retardari in motu proprio ab oriente in occidens, vel moueri contra motum primi mobilis (ſi tamen primum mobilem dabile ſit) tamen cum neque vnius neque alterius opinionis vlla ſit demonſtratio, illud videtur tenendum, quod ſine additione entitatum apparientiam ſaluare poſsimus; ergo ſi vnico tantum motu naturali, & proprio ab oriente in occidens, mirifice ſaluantur apparentiæ ? ad quæ multiplicatio entitatum ſiquidem fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Hoc ſuppoſito motus octauæ, &

cæ-

cæterarum ſpherarum 7. planetarum ſic venit intelligendus, ſtellæ octauæ ſpheræ reſpectu puncti in circulo meridiano fixo, & in mobili in cælo empireo, & in terra correſpõdenti, mouentur ab oriente in occidens, quotidie ab illo puncto ad aliud, & iterum in ſpatio 24. horarum vnum ſecundum, & 30 tertia quaſi ſic proportione ſeruata, vt inquit TichusBrache, in 76. annorum cum dimidio gradum primum peragrat. Saturnus in velocitate motus etiam proprij, ab oriente in occidens, ſecundum locum tenet, & in quotidiana reuolutione vel mouetur, vel retinetur, ſecundum motum medium quatuor minutis, & totum circulum conficit in 30. annis Iuppiter in 12. annis Mars in 2. annis Venus, & Mercurius & ſol in 365. diebus, & 5. horis 49. minutis, quæ vera quantitas anni eſt at luna quotidie, vel mouetur, vel detinetur, in ſuo motu medio, 12. gradus, & 30. minuta ex quibus conſtat maiori celeritate moueri firmamentum, ſiue cælum ſtellatum quam Sa-

tur-

turnus, & Saturnum maiori celeritate moueri quam Iouis, & Iuppiter, maiori, quam Mars, & Mars maiori quam ſol vel Venus, vel Mercurius, & Mercurius, & Venus maiori celeritate quam luna, quæ inter Planetas tardius mouetur, vel detinetur magis ita, vt ſuus motus ſiue ſua retentio ſit duodecim gaduum 36. minutorum fere, sic enim ſuo ordine deſcẽdẽdo, ſtellæ fixæ in 1025000 annos ſuam integram reuolutionem faciunt quia velocius mouentur, & minus retardantur, & Saturnus ſuam reuolutionem conficit in 30. annis quia tardius quam ſtellæ mouetur & Iuppiter in 12. annis quia tardius quam Saturnum mouetur & Mars in duobus annis quia tardius quam Iouis mouetur, & magis retardatur & Sol Venus, & Mercurius in anno vno, quia tardius quam Mars mouẽtur, & hi tres Planetæ cælerius, quam luna mouẽtur quæ ita tarda eſt vt quod contingit in cæteris Planetis in aſpectibus cum ſole, multo velocius contingat cum ea, vt facile erit intelli-

gen-

gendum omnibus hijs qui aſtronomiam ediſcere dignati ſunt; cum autem hæc ita ſe habeant euidenter conſtat non eſſe neceſſarium primum mobile, quia cum ad hanc apparientiam ſaluandam, ſolum ſupponebatur ad mouenda aſtra, ſuo motu rapto, ab oriente in occidens, & adhoc eſſet ſuperfluum, luce clarius apparet, non eſſe neceſſarium, & cũ hoc ſequitur pauciores entitates, debere ſupponi, ſiquidem motus aſtrorum ab occidente in oriens aufertur, & talis orbis inſeruiens primo motui minime neceſſarius relinquitur. Vnde iure dicendum eſt, ſtellas fixas, & planetas ſuo motu proprio moueri ab oriente in occideus quotidie, ſecundum maiorem, vel minorem velocitatem, quo ſolum motu ſaluatur apparientia, & tollitur alter motus, & quamuis à me hic modus ſaluandi hanc apparientiam de nouo originetur, tamen inquirendo ſollicite, ſi forte aliquo in auctore de hac hypoteſi ſcriptum fuiſſe aliquid inueni in quodam libello Antonij Miſaldi, inſignis me-

medici, & mathematici, cuius titulus eſt, Planetologia rebus aſtronomicis, & medicis cõmunis, cuius verba ſunt, quæ ſequuntur in ca. 3.

Deinceps itaque exiſtimabis ſtellas; & maxime planetas; per ſuos orbes motu peculiari & diuinitus inſito progredi; nunc accedendo nunc recedendo; tardando quandoque; accelerando; alias deſcendendo; nonnunquam aſcendendo; & aliter ſicuti quotannis intuentium oculis patet, pro cuiuſque ſtellæ vi a Deo omnium motore particulatim data; & conceſſa, non violenter; (vt multi ſcripſerunt) ſed naturaliter, neque coacte, ſed libere, ita vt ordinem, & numeros quos (cæleſtis Choragus modulatur) ſua ſequantur ſponte atque ab officio nunquam recedant, nulla externa ui, neque vllo adminiculo, nullaue forinſecus neceſsitate adiuta &c. His verbis, & alijs, quæ in eodem capite ſequuntur hæc apparientia manet ſatis probata, & ad alias apparientias ſaluandas, vel ad aliquas quæ dicta manent

erunt rationi conformia ut infra uidebimus.

Secunda apparientia eſt illa, quæ per demonſtrationem omnes mathematici fatētur, omnes planetas taliter moueri in ſuis orbibus vt aliquæ ſint propinquiores terræ, aliquæ remotiores, & punctum illud remotiſsimum vocatur aux, & quod propincuium terræ eſt, vocatur oppoſitum Auxis, hanc.n. apparientiam antiqui ſaluare conantur, ſupponendo in quolibet orbe eſſe equalem groſsitiem cum diſtantia auxis, ad oppoſitum, & inde etiam ſupponunt, totum illum orbem, in tres orbes diuidi, quorum qui medium eſt æqualis groſitiei ſit, extremos duos orbes, eſſe inæquales grositici, ita vt orbis vbi aux fingitur, per vnam partem ſit cum pauca grositie conſideratus, & per partem infimam; & contrariam ſit maioris grositiei, ex quo reſultat orbem medium vocari ex centricum ſimpliciter, quia ſecundum concauam, & conuexam ſuperficiem, eſt ex centricus mundi centro, videlicet, centro terræ; reliqui vero duo orbes, quia alter

 habet

habet conuexam ſuperficiem concentricam mundo, & concauam ſuperficiem ex centricam mundo, propterea dicitur, ex cẽtricus ſecundũ quid, & quãuis hoc in omnibus planetis contingat, ex ſuppoſitione in ſole, ſufficit in cæteris ſex planetis, datur aliquid ratione aliarum apparẽtiarũ; ſic in Sole orbis medius ſcilicet ex centricus; ſimpliciter, vocatur orbis deferens, ideſt orbis qui ſecum fert, corpus ſolare, perquem fertur ſol tanquam nudus in tabula, mouetur ſecundum ordinem ſignorum ab occidente in oriens, motu primi mobilis. alijque duo orbes vocantur deferentes, ex centricum simpliciter, & rapiuntur a primo mobili. in alijs .n. planetis aliquid inuenitur; nimirum, quod deuiant ab ecliptica verſus ſeptentrionem; aliquãdo verſus auſtrũ; quæ deuiatio dicitur latitudo, ratione cuius ſupponunt antiqui deberi imagniari Epiſiclũ, ideſt, circulum paruulum, cuius centrum fixium in ex cẽtrico ſimpliciter ſuper ſuum cẽtrum reuoluitur, cum planeta fixo, in ſuper-

ſicie ſpeciali, ratione cuius præter deferentes ſupponunt æquantes , & ad ſaluandas apparientias cauſa auxis, & circa latitudinem omnia hæc ſupponunt , quæ ita rationi videntur contrariari, vt videatur magis cantilenas cantare quam doctrinam velle preſtare ; hæc ad ſaluandas apparientias, de auxibus , & oppoſitis, & latitudinem ſupponebant , ſed vt conſtet de impoſsibilitate ſuppoſitionum , aliqua ſunt notanda. Primum eſt illos antiquos auctores tamquam certum habere , cæleſtia corpora eſſe incorruptibilia,& ex ſolida ſubſtantia , nimirum criſtallina duritiem ſimilem habentia, & orbes ſeu cælos eſſe corpora continua, etiam ſi quolibet orbis per ſe, ſecundum ſuam groſsitiẽ ſit ex continua, tũc ſic dicant multi intelligentes philoſophi; quo pacto in quolibet orbe, & cælo ita denſo , & continuo,poterit cõuenire diuisio 3.orbium , præcipue cum episiclo,ſine fractione , & deſtructione continuitatis totius orbis,& ex hac consideratione exibit etiam (vt poſtea expli-

ca-

cabitur) maximum inconueniens, ad quaſcũque apparentias. notandum 2. a methamaticis noſtri temporis, & ab omni fere philoſophorum ſcola, ſubſtineri corpora cæleſtia eſſe corruptibilia fluida, & ad quamcumque ſuppoſitionem expoſitis in apparientijs viſis apta quod notabile vt concluſio tenenda, probatur. nam ab omnibus mathematicis, his annis præteritis, ex obſeruatione plurium cometarum, demonſtratum eſt, cometas apparuiſſe in ætherea Regione ſupra orbem ſolis vt viſum fuit in cometa apparente in cõſtellatione Caſsiopeiæ, & in cometa qui apparuit anno 1604. &in eo qui apparuit anno 1618. & multo ante hoc tẽpus, (&ſi obſeruati nõ fuere) apparuerũt tẽpore Hiparchi, Ptholomei, & aliorum methamaticorum qui, si obſeruati fuiſſent, abſque dubio eſt ſuſpicandum fuiſſe in ſubſtantia cælorũ ſuperiorum à ſole, vnde ſi fas eſt dicere certiſsimum eſt orbium cæleſtium materiam eſſe corruptibilem, fluidæque ſubſtantiæ, & permeabilis, & vt dicunt

plurimi

plurimi aeræ, quod doctiſsime demonſtrabit Camerarius in ſub inſigni opere filoſophico. Vbi probat tres tantum eſſe cælos cum empireo, & ſubſtantiam cælorum a ſuperficie terræ vſque ad cælum empireum, eſſe aeream ſubſtantiam per quam mouentur aſtra, tamquam piſces in aqua, & paſeres in aere; & ſic huic opinioni adimus noſtram aſſerentem Planetas, & ſtellas fixas vnicum ſolum motum optinere, nimirum ab oriente in occidens, proprium, & naturalem, non ſolum omnes ſaluari poſſunt apparientiæ, verum tamquam neceſſarium videtur tenendum neque primum mobile eſſe neceſſarium, neque ex centricorum, & epiſiculorum consideratio, nec ſuppoſitio ſit tenenda.

Tertium notabile erit circa ea, quæ in ſuppoſitionibus notantur, nam ſuppoſitio quæ ſecundum ſuppoſitiones a Ptholomeo, & cæterorum mathematicorum aduerſos & exquiſitos motus, recte & perfecte ſe habet, & ſolum erat inconuenientia, & repugnantia ra-

tione

tione ſubſtantiæ cælorũ, quia incorruptibilia
eſſe corpora tenebant; & hoc inconueniens
nõ vrget, si ſubſtãtia cælorũ ſit corruptibilis, &
permanebilis manente eadẽ ſuppositione, &
ſentẽtia noſtra de vnico tantũ motu, de ſtellis,
& de corruptibilitate cælorum, & de numero
cælorũ, & retardatione ſtellarũ, & planetarum
motuum, abſolute vt iacent omnia manere poſ
ſunt; His ita intellectis, & conſtitutis, cæteras
apparentias, & modum quo eas antiqui ſalua-
re conantur, proponamus. tertia apparentia
ex eo colligerunt; quia in ſpatio vnius anni
videbant ſolem iam in parte ſeptentrionali ab
equinotiale declinare per ſpatium 23. gradus
& 30. minutis fere, ad ſaluandam hanc appa-
rientiam fuit neceſſariũ orbem 9. præter 8.
ſingere, qui ſuo motu trepidando, ſolem nunc
ad vnam nunc ad aliam partem declinare fa-
ciat; hoc modo hanc aparientiam ſaluare, cæ-
los ſeruantes ſubſtantias denſas, duras, & in
modum criſtali, impoſsibile videtur; ſicuti
quod admittãt excentricos, & episiclos, & ſic

ſup-

ſuppoſitio precedēte notabili, inquit, decisum eſt ſubſtantiam cælorum esse fluida & corruptibilia, bene poteſt hæc apariĕntia saluari animanduertendo quod ſol quotidie ab vno pũæo in idem puuctum, non perficit circulum perfectum, ſed tantum ſpiram, & cum ſpira ſpiræ ſuccedat, per gradum fere quando fuerit in prĩcipio arietis, altera die retardatur ſol, per alterum gradum, adquirendo non ſolum longitudinem, ſed declinationem, acquirendo ſolum ſuo motu, hoc modo facto in 90. diebus 90. gradus longitudinis & 23. gradus 30 minutis declinationis & tunc ingreditur ſignum cancri quod punctum dicitur tropicus cancri; & contingit in parte ſeptentrionali totius anni dies maior; & ab eo puncto eodem motu ſeruato cõsũptis alijs 90. reuolutionibus ſiue ſpiris, alios 90. gradus lõgitudinis adquirit & ingreditur 1. gradus libræ, ibi enumerantur 180. gradus, & deperditur declinatio ſeptẽtrionalis, quam adquiſierat, ab ariete ad cancrum, & iterum continuato motu à libra ad

ad capricornum conficit alios 90. gradus in longitudine, & adquirit 23. gradus 30. minuta in declinatione auſtrali, eritq; tota lõgitudo in capricorno 270. gradus, & declinatio ſolis æqualis ei, quæ fuit ab ariete ad cãcrum, quam declinationem deperdit iterum à capricorno ad arietem, vbi integram circuli longitudinem acquiſiuit, nimirum 360. gradus, vnde eſt euidens eodem motu ab oriente in occidens ſolem in 365. diebus 5. horis 49. minutis à ſigno ariete, per cancrum, libram, & capricornum, deuenire ad arietem, acquirendo 360. gradus longitudinis, & bis acquirere declinationem, & eam finire in parte ſeptẽtrionali, & auſtrali. hoc .n. illis qui attente ea omnia, quæ dicta ſunt intellexerint, magis cõſentanea videbuntur, quam cum ſuppoſitione peculiaris orbis, quia impoſsibile videtur alio modo id poſſe fieri, cælis exiſtẽtibus de ſubſtãtia, incorruptibili, dura, & dẽſa, & id ipsũ venit intelligendũ circa appariẽtiã de auxe, & oppoſito auxis cuiuſcũq; planetæ, & tamẽ ex noſtra

 ſen-

ſententia cælorum numerus) qui denario ab-
antiquis conprehēdebatur) nō tenendus, quia
probabitur euidenter ſolos eſſe 3. orbes nimi-
rum primum cælum totum quod continetur
à ſuperficie terræ, & aquæ, vſque ad cælum
ſtellatum, ſecundum vero totum illud quod
cōtinetur inter cælum ſtellatū, & cælū empi-
reum; quod vere tertium cælum vocari debet,
2. ſententiam; & locum ſacræ ſcripturæ, quæ
confirmat diuum Paulum raptum fuiſſe vſque
ad tertium cælum, vbi vidit arcana Dei; & eſt
certiſsimum illum tertium cælum, non eſſe
cælū Veneris, quod 3. enumeratur ab antiquis,
quia in eo Dei arcana videre non poterat Pau
lus. Et ſi verum dicere fas eſt, cælorum nu-
merus in ſacra ſcriptura minime aſsignatus
eſt, immo Sanctus Chriſoſtomus homilia 4.
ſupra geneſi in hæc prorumpit verba, quomo-
do dicunt aliqui factos multos cælos? non ex
diuina ſcriptura hoc didicerūt, ſed ex ſuis opi
nionibus (vt ita dicā) inpelluntur &c. ſupoſi-
tis omnibus hucuſq; dictis omnia pertinentia

ad

ad noſtram opinionem, vnica tantum concluſione proferam, quæ talis eſt.

Cælorum numerus ternarius eſt, eorum ſubſtãtia fluida, & aerea et corruptibilis, peregunisq; accidentibus ſubiecta, nõ mouentur cæli, tamẽ per eos aſtra mouẽtur, ita vt ab oriente in occidens tam ſtellæ fixæ, quam planetæ, naturali motu, & proprio moueãntur ſuper polos mundi Arcticum, & Antarticũ, & ſine adheſione, & fixione in ipſis cælis, & ſine eo quod ab aliquo iuuante extrinſeco moueantur. Ex hac concluſione conſtat, poſse excludi ab opinione antiquorum in aſtris motus ab occidente in oriens, & eſſe planetas fixas in orbibus excentricis, & æpiſiclis tanquam nudus in tabula, & ſimiliter defendere non dari primũ mobile neq; eſſe neceſſarium, & cum hoc quod cæli ſint ex ſubſtantia fluida, & aerea nullum euenire inconueniẽs, circa vſum ſuppoſitionum, quæ acutiſsime imaginatæ fuerũt à Ptholomeo, quia ipſis ſeruatis, rectè motuum omnium ſtellarum ſuputatio ſine aliquo

impedimento poteſt fieri, & hæc pro nunc de nouitate opinionis à nobis aductæ dicta ſufficiant, & de diuiſione vniuerſi circa partem æthercam ſiue cæleſtem.

Pars 2. huius tractatus in qua de circulis, qui a mathematicis finguntur in ſphera materiali, agitur.

HÆc pars de circulorum tractatione etiã ſi omnibus partibus mathematicæ facultatis ſit neceſſaria, nihilominus eſt quodam ſuppoſitiuum, & fictitium, nam impoſsibile erat neceſſarias operationes aſtronomiæ, fieri abſque circulorum conſideratione. Hinc eſt quod de eorum numero, & officijs ſit agẽdum. circuli definitionem in principio adduximus, diximuſque, eſſe figuram planam vna linea contemptam in cuius medio pũctus eſt, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferẽtiã sũt æquales, eorũ circulorũ numerus, decenario numero cõprehenditur, vt ſuo ordine patebit.

Circuli, qui finguntur in hoc vniuerſo, sũt 10.quorum 6.dicuntur maiores,quatuor vero minores;circulus maior eſt illæ, qui ſpheram diuidit per medium tranſiens per centrũ vniuerſi, circulus autem minor illæ erit, qui diuidens ſpheram in duas inæquales partes medium,& centrum non attingit, inter circulos maiores primo ſe offert æquinotialis.

Equinotialis circulus eſt maior quia diuidẽs vniuersũ in duas æquales partes tranſit per cẽtrũ mundi,æque diſtans ab vtroque polo ſcilicet Arctico,&Antarctico,& eſt aduertendum quod tã circuli magni, quam parui habent pro circumferentia 360. gradus, quorũ quilibet diuiditur in 60.minuta &c. dicitur æquinotialis, quia ſole tangente illũ, dies noctibus ſunt æquales in vniuerſa terra, & etiã dicitur cingulũ vniuerſi, quia illud per mediũ cĩgit, eſt præterea circulus in re aſtronomica ad plurima deſeruiẽs, primo .n. deſeruit ad diuidẽdã partẽ ſeptentrionalẽ,& auſtralẽ,relinquẽs medietatem vniuerſi verſus polũ articũ,& medietatẽ

verſus

verſus polum antarticum, diſtans ab vtroque polo 90. gradibus, quæ quarta pars circuli eſt.

Deſeruit ſecundo ad diſtinguendam declinationem omnium ſtellarum, & planetarum, tam ſeptentrionalem, quam auſtralem. deſeruit etiam ad enumerationem longitudinis tam in aſtris, quam in terra, cum hac differentia, quod lõgitudo in aſtris incipit a principio arietis per totã æquinotialẽ iterũ ad punctũ arietis quod ſpatiũ cõtinet 360. gradus, & longitudo in globo terreſtri originatur, & hẽt principium a meridiano inſularum fortunatarũ vſq; dum totus ambitus terræ ſub æquinoctiali, finiatur in eodem meridiano inſularũ, ita vt quibuslibet 15. gradibus æquinoctialis correſpondeat hor. 1. & cuilibet gradui correſpondeat de ſuperficie terræ, & aquæ 17. leucæ cum ſemiſſe.

Quarto præſtat cognitionem ad altitudinem poli in ſphera obliqua, nam tanta erit altitudo poli, quanta fuerit diſtantia æquinotia-

lis

lis a cenith alicuius Regionis.

Quinto, & vltimo deſeruit ad metiendos ides naturales in quacumq; ſphera, & dies artificiales in ſphera obliqua, preſtando veram cognitionem maioris, & minoris diei in diuerſis regionibus, & proportionem creſcendi, & minuendi in diuerſis Regionibus, & diſcurſu dierum, & talia poſsũt ſe offerre accidentiam in vniuerſa aſtronomia, vt alia multa officia preſtare valeat.

De orizonte.

SEcundus circulus in ordine orizon eſt, qui cum ſit circulus maior, vniuerſum diuidit in duas æquales partes, tranſiẽs per centrum æque diſtans, ab vtriſque duobus pũctis cenith, & nadir, quæ duo puncta ſe habent, vt poli mundi ad æquinoctialem diſtando ab vtroq; puncto 90. gradibus, & præſtat Aſtronomis ſequentia officia.

Primum officium eſt, inſinuare emiſphe-

rium

riumviſum a non viſo, relinquens medietatem ſupra, & medietatem infra terram, diuidit, æquinoctialem in duas æquales partes, tam in ſphera recta, quam in obliqua excepta ſphera obliquiſsima, in qua æquinoctialis eſt idem quod orizon, & ideo dicitur orizon quia terminat viſum.

Secundum officium eſt terminare altitudinem tam cuiuſcumq; ſtellæ, quam alicuius cometæ, & alterius rei quæ ab oriente per meridiem eleuari videatur, repræſentat etiam poli altitudinem, quia tanta eſt altitudo poli quãta fuerit eius eleuatio ab orizonte.

Tertium præſtat deinde ad aſsignationẽ amplitudinis ortus in qualibet regione, ſecundum maiorem, vel minorem obliquitatẽ ſpheræ, deſeruit etiam ad ortum, & occaſum, ſignorum, & ſiderum, tam ſecundum Poetas, quam ſecundum aſtrologos, & ſeruit etiam ad ſignificandos dies æquales, vel inæquales naturales, & artificiales in quacumque ſphera.

TErtius circulus inter magnos, eſt meridianus qui meridianus, dicitur, quia in quibuſcumq; diebus anni, duos dies mediat ; eſt circulus magnus; quia diuidit ſpheram in duas æquales partes ; & cum tranſeat a polo mundi arctico; & antartico per cenith capitis regionis (cuius eſt meridianus,) diuidit vniuerſum in duas partes æquales , relinquẽs medietatem verſus orientem , & aliam medietatem verſus occidens, & quemadmodum Horizõtis poli, ſunt cænith, & nadir regionis , ita poli meridiani ſunt verum oriens, & verũ occidens, quia ab vtroq; puncto orientis ſcilicet & occidentis diſtãt æqualiter 90. gradus , ſua offitia ſunt quæ ſequuntur.

1. Eſt principiũ diei naturalis, nã reuolutio ſolis ab eo pũcto ad idẽ punctũ eſt dies naturalis.

2. Diuidit diẽ artificialẽ per mediũ cũ orizonte in quacũq; ſphera, in eo fuit sẽper maior ſtellæ, ſeu Phænomenis altitudo, exiſtẽte ſole in eo eſt minor vmbra, quã debet ſol efficere ſupra terram, ratione vmbræ minoris in meridie

eligitur in terra linea meridiana in eo debet eſſe cenith cuiuſcumque regionis;hæc & mul-ta alia quæ poſſunt accidire in obſeruationi-bus mathematicis valet in occaſione preſtare meridianus, & ſimiliter cæteri circuli in di-uerſis occaſionibus eruntvtiles,præter ea quæ dicta ſunt.

De circulo Zodiaco.

CIrculus hic,qui ab aſtronomis zodiacus vocatur,non eſt vere circulus, ſed zo-na quædam corporea, & ſic per definitionem eius partes, & veram intelligentiam ſignifica-bimus,eſt enim zodiacus,corpus quoddam,in cælo exiſtens tanquam zona in rotundum fa-cta,cuius longitudo eſt 360. graduum & lati-tudo 12.graduum, & tot idem habet profun-ditatis,habet nomen circuli,ratione eclipticæ, diuidentis eius latitudinem per medium, qui circulus dicitur circulus obliquus, quia obli-

que-

